

**Rhachitidis congenitae observationes / quas collegit et interpretatus est
Christophorus Fridericus Sartorius.**

Contributors

Sartorius, Christopher Friedrich, 1798-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : In commissis Reclami, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tr4ytp4h>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

RHACHITIDIS CONGENITAE
OBSERVATIONES.


7
QVAS COLLEGIT ET INTERPRETATUS EST

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS SARTORIVS

MEDICINAE DOCTOR.

CVM TABVLIS TRIBVS AERI INCISIS.

L I P S I A E
I N C O M M I S S I S R E C L A M I
1 8 2 6.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22372878>

PATRI OPTIMO CARISSIMO

CHRISTOPHORO FRIDERICO
SARTORIO

MEDICINAE DOCTORI

HAS STVDII MEDICI PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLVIT

FILIVS.

P R A E F A T I O.

Quum mihi, ad summos in medicina et chirurgia honores aspiranti, impositum esset scribendi officium, diu de materiei tractandae delectu dubius haesi. Tandem vero, propriis observationibus, quibus quaedam artis nostrae pars illustrari aliquo modo posset, plane destitutus, neque paratus ad aliorum placita, quae notissima sunt, denuo repetenda, consilium cepi, singularem Rachitidis casum, qui nuper Experientissimo RECK, medico apud Torgavienses celeberrimo, se obtulit, enarrare, eique adnotationes quasdam adiungere. Quare, simulac de hac observatione per amicum eram certior factus, precibus ardentissimis Experientissimum RECK adii, ut, quae observasset in infante rachitico, mecum benevole communicaret, mihique hunc casum describendi et promulgandi veniam daret. Atque meis votis lubentissime respondit Vir Experientissimus, mihique ita summae humanitatis testimonium exhibuit, pro quo ipsi semper ero obstrictis-

simus. Ceterum non possum, quin, hac occasione oblata, etiam Excellentissimo WEBERO, Praeceptorum pie venerando et de me meritissimo, pro indulgentia, qua benevole concessit, ut ex divite praeparatorum thesauro, qui in theatro anatomico lipsiensi asservatur, exempla ossium et sceletorum, ex rhachitica causa male conformatorum, accurate perlustrare et describere possem, gratissimum meum animum testificer. Etenim nisi Clarissimus Vir hoc, quo dixi, modo huius libelli elaborationem adiuvasset, opusculum, a me editum, maxima ex parte destitutum esset iis, quae quaedam fortasse lectorum digna habeantur attentione.

Superest, ut de ordine, quem in conscribendo hoc libello secutus sum, quaedam moneam. Recensebo autem primum observationes quasdam ad Rhachitidem, quam equidem congenitam dicendam esse censeo, spectantes et iudicium, quod super iis tuli, firmabo argumentis, quae mihi suppeditavit comparatio symptomatum, quibus rhachitici infantes laborant, cum iis abnormitatibus, quas foetus et neonati, de quibus sum locutus, prae-buerunt, et tandem obiectiones eorum, qui Rhachitidem congenitam dari negant, remove studebo.

S E C T I O P R I M A.

R. T. agricolae in pago quodam, prope Torgaviam sito, ancilla, viginti circiter annorum et robustae constitutionis, ab equite levis armaturae gravis, adiuvente medico obstetricio, qui forcepe uti fuit coactus, tempore graviditatis fere absoluto, puerum iam a pluribus inde diebus, ut videbatur, mortuum edidit die XXVI. m. Febr. anni MDCCCXXV. Ponderus et longitudo huius infantis normae fere responderunt, (pondus quippe erat librarum quinque cum quadrante et longitudo sedecim pollicum) caput autem paullo maius fuit, quam in neonatis esse solet. Corpus bene nutritum videbatur, eiusque integumenta communia colorem habebant, qui foetibus maturis convenit. Attamen in extremitatibus superioribus atque inferioribus, circa mediam partem cuiusvis ossis cylindracei maioris, cutis stricta atque plicata conspiciebatur et os ipsum hic situm, digitis tactum et exploratum, praeter normam mobile, neque integrum inveniebatur. In capitis cavo cerebrum admodum molle et fere aquosum repertum est, quo remoto, calvariae exsiccatae ossa admodum parva et innumeris laminis minoribus, totidem scilicet ossificationis punctis, cincta apparuerunt, ita ut fonticuli non adeo vasti essent. Ossicula, quae ad ossa frontis pertinent, squamulas formae irregularis cum marginibus dentatis exhibent. Ab ossium bregmatis lamina centrali radii, iique separati, descendunt et similes etiam fibrae, a parte squamosa ossium temporum divergentes, adsunt. Occipitis os cen-

trale parvum et squamulis minoribus circumdatum conspicitur. Spatium inter has fibras et radios multis ossiculis minoribus erat refertum, quorum maiora, quae tamen vix tres lineas excedunt, irregularem Wormianorum ossium referunt formam. Prope fonticulos Casserii et fonticulum triangularem haec ossicula sensim minora fiunt et ad margines ipsos fonticulorum minutissima sistunt ossea puncta. Ceterum omnia cranii ossa admodum tenuia sunt, ita ut hoc etiam respectu a norma recedant. Columnae vertebrarum incurvationes et distorsiones oculo manuive exploranti nullae se manifestant. Cum autem extremitates dissecarentur, earum cutis pinguedinis plena et muscoli pro aetate satis carnosi, ac quoad situm decursumque normales inventi sunt, ossa vero morbosa depressa: uterque enim humerus non minus, quam radii, ulnae, femoris, tibiae fibulaeque ossa in media longitudine quasi fracta comparuerunt et periosteum valde tenue, ossibusque haud firmiter affixum, has fracturas obduxit. Plurimum ossium circuitus fuit solito maior, praecipue circa eorum epiphyses, quae magnitudine prae ossibus praevaluerunt. Ceterum hae partes non emollitae, sed potius friabiles fuerunt et hic illic plures habuerunt fissuras, ita, ut quibusdam in locis superficiei externae particulae laminarum instar separari possent. Cavum medullare distinctum non adfuit; in quovis longiori extremitatum osse medio fractura, si hac voce uti liceat, occurrit, marginibus praedita in aliis planis, in aliis inaequalibus, iisque in assulas abeuntibus, quae fortassis crebriori ossis, minus firmi, contrectationi ortum debebant; altera itaque superficies alteri haud similis fuit. In dextrae tibiae fractura margo inferioris partis elevatus cum aliqua planitie comparuit et eiusdem lateris fibulam mediam explevit os planum, fere quadratum, inter superiorem et inferiorem fibulae partem libere quasi suspensum. Tibia et fibula sinistri lateris paullo infra mediam longitudinem fractae sunt. Humerus brachii sinistri Tab. I. ita delineatus, ut fuit repertus, cum sectio institueretur, quae quinto demum

post partum mense facta est. Manuum pedumque digiti a deformitate liberi observati sunt. Ceterum spinam dorsalem costasque dissecare, et abdominis cavitatem aperire mihi non licuit; externus autem habitus illius columnae et ossium, lateribus eius affixorum, nullas abnormitates praebuit, neque in imi ventris cavo recens nati pueri tumor aliquis erat detectus.

Occasionalium causarum mortis huius foetus vix ulla nobis innotuit. Mater neque vim in graviditate se passam, neque terrore aliquo ante partum percussam esse ait. Sed, cum infantis artus misere esse fractos comperisset, crurifragii accusavit spectaculum, cui propius adstetisset, quodque summo cum horrore vidisset. Foedus iste adspectus, quamquam binos circiter menses conceptionem praecesserit, imaginationi suae, ut refert, per omne graviditatis tempus firmiter inhaesit.

Si quis dexteritatem medici obstetricii, famamque candidi scientiae cultoris in dubium vocaret atque suspicaretur, miras illas plurium ossium fracturas esse in partu promovendo ortas, vel sola autopsia ad hanc sententiam refutandam sufficeret. Etenim obstant cum morbosa ossium conditio, tum cutis praeprimis stricturae, fracturas illas obducentes et in omni membro conspicuae, quae luce clarius testantur, iam in embryone partes molles fulcro suo caruisse.

Ossium praeterea crassities, fragilitas et friabilitas, cavi item medullaris absentia, epiphysium magnitudo, artus duplicatos referens, cranii ossium, quae ex innumeris ossificationis punctis, iisque inter se non unitis, constabant, singularis forma et habitus, caput magnum, cerebrumque admodum molle me urgent, ut omnia haec vitia Rhachitidi cum Hydrocephalo, ut saepius fit, coniunctae, tribuam. Hanc, quam equidem proposui, sententiam eo deinceps probare studebo, ut ad ossium respiciam mutationes, quae in Rhachitide plerumque observantur, cum reliqua, quae in Rhachitide occurrunt, symptomata in aliis aegrotis reperiantur, in aliis desiderantur.

Jam memorabili huic observationi, Exper. WEBERI benevolentia adiutus, descriptiones et imagines sceletorum addam, quae in pathologico theatri anatomici lipsiensis thesauro asservantur, quaeque cum casu, modo a me descripto, haud parvam habent similitudinem. Sceleton, No. 1004. insignitum et Tab. II. Fig. I. delineatum, pueruli recens nati est, cuius morbi historiam ignoramus. Aequat eius longitudo tredecim pollices ulnae lipsiensis. Calvaria tenuis et membranacea punctis ossificationis distinctis, iisque fere innumeris, est conspicua. Capitis volumen satis superat illud, quod in neonatis locum habet. Columna vertebralis recta; costae convexae quidem, sed fere omnes nodis, qui dicuntur, distinctae, ambitus nimirum inaequalis, hic ultra modum aucti, illic plus minusve in locos tenuiores contracti, sic ut iuncturarum speciem referant. Ossa longa extremitatum, ut humerus radiusque cum ulna, aequae ac femur utrumque, in media longitudine fracturas, callo abundante iunctas, simulant. Conspiciuntur enim his in locis separatarum a se invicem ossearum partium vestigia; uterque quippe margo satis elatus est, membranaque obductus. Ceterum in manuum pedumque ossibus eiusmodi fracturae haud aderant.

Sceleton, quod Tab. III. exhibet, in eadem collectione sub No. 416. reperitur, ab infante recens nato, maturo, naturae quidem viribus, sed exanimis, expulso est desumptum. Mater annum trigesimum sextum agens, beneque valens, cum pluries partus enixa fuisset, sexto circiter mense denuo gravida, ex vehementi abdominis per ictum affectione subito concidit, sic ut sibi haud esset conscia. Paulo post, cum domum lento gradu peteret, graves abdominis dolores sensit, nulla tamen orta est haemorrhagia. Sed ab eo inde tempore saepius ex inopinato dolorem pungentem, mox evanescentem, mox redeuntem, in dextro abdominis latere percepit. Ceterum graviditas, matre satis bene valente, normales fecit progressus. Tercio die m. Aug. 1811. primum dolores sic dicti praesagientes orti sunt, quos mox larga sequebatur haemorrhagia. Obstetrix hoc tempore de

vita infantis superstita plane non dubitavit, attamen quinto huius mensis die mater mortuum partum edidit. Remotis secundinis, larga diuturna-que secuta est haemorrhagia, quae corpus puerperae valde debilitavit. Beatus NEUHOF, Annabergae cum successu artem Machaoniam exercens, cuius aegra imploravit auxilium, brevi tempore ita sanitatem ei reddidit, ut postea, iterum praegnans facta, feliciter pareret. Sed redeo ad skeleton infantis, Tab. III. depictum. Cranium normalis magnitudinis, ossaque eius normalis crassitie ac structurae sunt, fonticuli autem iusto ampliores in recenti statu fuisse videntur. Columna vertebrarum recta, costae integrae, os humeri utrumque vero paullulum distortum et paullo maioris ambitus; radius brachii sinistri versus ulnam, et hoc os in eadem directione flexa sunt, dextri vero brachii radius ab ulna remotus est et haec, simili modo curvata, eum comitatur. Haec quidem curvatura prominentiam obtusam format, cui caput abductoris pollicis longi affixum erat, musculi vero extensores carpi radiales a situ versus exteriora erant remoti. Utrumque femur iusto maius, quam in naturali statu esse solet, in media circiter parte ad angulum obtusum, fere rectum, versus exteriora flexum est. Tibia et fibula utriusque pedis non cylindricae, sed perfecte planae, marginibus antice et postice positae, ex angulo recto flexae sunt in apicem anticum, cui fibrae Peronaei brevis adhaeserant. Fibula dextri pedis spinam longam, quae cutim perforaverat, apici flexurae praefixam, habet. Ceterum laevia sunt absque ullo fracturae iuncturaeve vestigio omnia haec ossa et superficies eorum a norma non recedit, si a maiori, qua gaudet, laevitate discesseris.

Quod ad huius deformitatis causam attinet, equidem verbera, gravido abdomini inflicta, vix accusanda esse crediderim. Sexto graviditatis mense foetum parciore omnino liquore circumdari, matremque eo tempore dolores in imo ventre sensisse haud nego, nec dubito, quin ad unionem fractorum ossium perficiendam satis temporis fuerit relictum; at vero

quis est, qui cogitare queat, tot tantasque sine uteri laesione ossium foetus, in utero libere suspensi, fracturas oriri potuisse? Illaesium autem fuisse uterum eo probatur, quod neque haemorrhagiam aegrotata est passa, neque foetum immaturum peperit. Profecto vix intelligi potest, qui factum sit, ut extremitatum artus omnes, exceptis ossibus humeri, fracti et rursus reuniti ac consolidati sint, ita, ut nullum fracturarum vestigium remaneret. Hoc etiam notari meretur, quod ossa humeri, in quibus nulla fracturae suspicio locum habet, crassa et distorta fuerunt, tibiae autem fibulaeque eam, cuius supra memini, formam erant nactae, quae aberrationes a norma nullo modo ab externa vi produci potuerunt. Itaque et hanc observationem ad Rhachitidem congenitam, a scriptoribus summae auctoritatis receptam, referendam esse censeo. Atque huic quidem sententiae neque reliqui horum parentum infantes, qui sanissimi erant, neque ossium cum sanorum, tum aegrotorum natura et indoles obstare videtur. Etenim haud rarum est, ex pluribus familiae eiusdem infantibus unum tantum haereditaria parentum dispositione laborare. Huius rei exemplum in STORCHII observ. clinic. anni quarti, appendice II. p. 793. legimus. Refert nimirum auctor, se hominem nonagenarium, in quo signa Rhachitidis praegressae superfuerant, nosse, cuius ex septem infantibus unus puer hoc morbo affectus est, filia autem bene formata quinque infantes peperit, quorum primogenitus tantum filius de levibus rhachitici mali symptomatibus est conquestus, illudque postea unico ex octo liberis tradidit. — Etiam cachectici parentes sobole interdum sunt ditiores, quam ii, qui perfecta sanitate fruuntur; ceterum in Rhachiticis non omnia semper ossa aegrotant, aut male constructa, conformataque sunt.

Skeleton femineum, Tab. II. Fig. II. depictum, ex eadem collectione mecum communicatum et No. 1076. insignitum, est quindecim pollices longum, magno capite praeditum, fonticulisque amplioribus conspicuum, quorum ii, qui a Casserio nomen habent, non minus, quam triangularis, ossibus

Wormianis expleti, ossa vero parietalia, praesertim in partibus inferioribus, protuberantiis quibusdam obsita sunt. Os occipitis cum ossibus bregmatis coalitum et foramen magnum sive impar fere triangulare est. Trunci atque extremitatum ossa brevia, lata, crassa et, quod potissimum de extremitatum ossibus valet, plus minusve porosa conspiciuntur. Corpora vertebrarum dorsalium atque lumbalium globulorum instar elata, corpora vertebrarum spuriarum autem perfecte plana; costae admodum latae, praecipue ad cartilagineas, nec tamen nodosae sunt et claviculae, praeter normam curvatae, in quovis latere magis, quam par est, ad quartam nimirum costam usque, descendunt, ita ut scapulae spatium a quarta vera costa usque ad primam spuriam occupent. Ossa pubis in horizontali tantum parte, ossa ischii in tubere solum parvulum ossificationis punctum habent. Epiphyses extremitatum omnes longae lataeque, ossa cylindrica e contrario breviora, crassiora, paullo curvata, et versus epiphyses maximi ambitus sunt. Radius et ulna utriusque brachii exteriora versus flectuntur et utrumque femur, eodem modo flexum, tibiae admodum latae et planae, fibulaeque crassae extus curvatae, iungitur. Tibiae normalem non habent longitudinem, et quidem in interiore latere multo breviores sunt, quam in exteriori, ita ut superficies, excipiendis metatarsi epiphysibus destinata, ex obliquo posita sit et interiora potius, quam inferiora spectet. In tarso denique ossificatio fere nulla conspicitur, et metatarsus sicuti metacarpus brevis ac latus est. Hoc sceleton, quod modo descripsi, itidem Rhachitidis congenitae exemplum sistere equidem censeo, iudiciumque hoc in altera dissertationis parte, ad quam nunc transeo, argumentis, ad persuadendum idoneis, studebo probare.

SECTIO SECVNDA.

Quum observationes, quas ad rem, quam mihi sumsi tractandam, pertinere arbitror, descripserim, statim me accingo ad sententiam, quam supra tuli, uberius explicandam atque illustrandam. Princeps autem argumentum, quo ea mihi niti videtur, repeto a similitudine, quam ossa illorum sceletorum, quae descripsi, cum ossibus infantum rhachiticorum habent, quamque quilibet facile animadvertet, qui comparisonem instituere voluerit.

Ossa quippe omnium rhachiticorum aegrotorum, secundum artis medicae magistrorum observata, mollia sunt, etsi in aliis subiectis ea molliora esse solent, quam in aliis. Namque, utut durities harum partium in variis aegrotis huius generis variat, tamen mollitiei gradus, si ita dicere licet, in his non talis est, qui in hominibus, osteomalacia laborantibus, quorum ossa in gelatinam mutata sunt, locum habet. Scilicet in rhachiticis ossa resistendi virtute ex parte privantur et respectu debitae firmitatis mollia dicuntur. Fuerunt sane, qui perfectam ossibus rhachiticis mollietatem tribuerent, sed iam olim GLISSONIUS¹⁾ hanc sententiam refutavit, dum dicit: „Coniectarunt aliqui, ossa in hoc affectu interdum esse flexibilia, instar cerae. Sed nos nunquam id vidimus, neque ab oculato teste, fide digno, relatum audivimus. Quare, ut fabulosum hoc signum

1) FRANC. GLISSONII Tractatus de rhachitide, s. morbo puerili, Rickets dicto. Lond. 1650. 8.

„plane reiicimus.“ VAN SWIETEN²⁾ dum in huius mollitiei causam inquirat, eamque ab imminuta partium terrearum in ossa depositione repetendam esse iudicat, haec addit verba: „in adultis quidem observatio „fuit aliquoties, ossa penitus emollita fuisse, sed in rhachiticis firma fiunt minus“ etc. Attamen cum ossa, si illa causa, cui VAN SWIETEN mutationem, quam subeunt, adscribit, efficax esset, maiorem tenacitatem, quam normali in statu possident, deberent assumere, qua proprietate plane destituta sunt, utpote quae, experientia teste, maiori fragilitate polleant; putaverim equidem rationem partium constituentium erga se alio modo in tali casu a norma aberrare. Hoc sane ratum habemus, ossa non vere mollia reddi in rhachiticis aegrotis, sed firmitatem eorum non nisi plus minusve imminui, ita ut facilius curvari, frangi, dissecari et conteri queant. Sic e. g. STORCH³⁾, STRACK⁴⁾, RUOFF⁵⁾, aliique de ossibus Rhachitide defunctorum, cultello facili negotio resectis, loquuntur. JSENFLAMM⁶⁾ in unius eiusdemque cadaveris (iuvenis XXI annorum) extremitatibus superioribus ossa admodum flexibilia ac mollia, in inferioribus autem fragilia, quae conteri, imo digitis comminui possent, se invenisse narrat. Quod ad ossa infantis, de quo in prima observatione sermo est, spectat, ea non mollia fuerunt, nec flecti potuerunt, quin frangerentur et humeri os, scalpelli ope dissectum est, in quo tamen labore instituendo cautio erat adhibenda, ne os finderetur.

Ab hac ossium rhachiticorum mollitie pendent eorum incurvationes et

2) GERHARDI VAN SWIETEN Commentaria in HERM. BOERHAAVE aphorismos de cognosc. et curand. morbis. Tom. V. Lugd. Batav. 1772. §. 1485. No. 8.

3) Joh. Storch's theoret. u. pract. Abhandlung von Kinderkrankheiten. Eisenach 750—71. B. III. Cap. XVI. p. 270.

4) Acta Hassiaca. Vol. I. p. 159.

5) RUOFF, praes. ZELLER, de morbis ex structura glandularum praeter naturam natis. Tubing. 1694. c. 1. Art. 2. No. 15. (in HALLERI disput. med. pract. Tom. VI. Lausann. 1758, No. 190. p. 11.

6) J. F. Jsenflamm Versuch einiger pract. Anmerkungen über die Knochen. Erlang. 1782. 8. Abschn. II. §. 90. p. 416.

fracturae, quae haud raro sunt observatae et de quibus deinceps, ubi de singulorum ossium vitiis disputabo, uberius disseram. Quod enim ad quaestionem spectat, quamvis vi et efficacia fiat, ut ossa formam assumant, vario modo a normali figura deflectentem, cum in infantibus, qui pedibus nondum incesserunt et quorum vis muscularis admodum debilis est, tum praecipue in foetibus, in quibus pondus corporis vix aliquem effectum exserere potest, hanc libenter aliis, me doctioribus, resolvendam relinquo. Hoc tantum addo, me in ea versari opinione, ut credam, fracturas ossium, iisdem sub conditionibus saepe observatas, eidem causae tribuendas esse.

Sed ossium fragilitas quandoque ab alia principiorum, ea constituentium, ratione pendere videtur, quam in iis locum habet, in quibus curvaturae eveniunt; occurrunt enim interdum ossa rhachitica fracta, quae non curvata erant. Exempla huius ossium fragilitatis plura in medicorum scriptis invenimus. Sic L. PETIT⁷⁾ affirmat, interdum vel in humeri osse accidere, ut illud non modo in loco insertionis musculi deltoidei et brachialis antici incurvatum, verum etiam semifractum inveniat, additque simul, se haud raro eiusmodi deformitatem observasse, saepeque etiam hoc vitium in costis, ut et in media parte femorum crurumque locum habere. STORCH⁸⁾ infantis quadriennis, tenelli et rhachitici facit mentionem, qui cum serva podici eius manum admovisset, medii femoris sinistri fracturam passus est, quae post quartam septimanam adhuc mobilis, neque prius, nisi cum adhuc viginti circiter dies praeterissent, sanata fuit. Idem auctor⁹⁾ alium memorabilem casum in fratris sui familia observatum nobiscum communicavit: infans nimirum inter quintam et decimam aetatis septimanam quinquies vel sexies plurimum extremitatum ossa fregerat sine manifesta causa, quas fracturas decima septimana par-

7) J. L. PETIT *Traité des maladies des os*, à Paris 1758. Tom. II. p. 517. 518.

8) *Quinquag. practicae* 1. Tom. III. Class. No. 4. p. 121.

9) *l. c.* B. III. p. 271.

tim mobiles, partim leviter iunctas esse, auctorem exploratio instituta docuit; ossa apta medendi methodo in integrum sic restituta sunt, ut, praeter cal- lum in dextri lateris femore, nulla praegressi mali vestigia superessent. Os- sium haec fragilitas in summo morbi gradu tanta interdum est, quae faciat, ut aegrotuli pedibus non incedere, ac ne sedere quidem erecto corpore pos- sint, mutato autem in lectulo situ fracturas sibi contrahant. Huius rei exem- plum BÜCHNERUS ¹⁰⁾ nobis reliquit, cui puellae, sedecim annos natae, ex eiusmodi causa aegrotantis, cura fuit demandata. Tab. II. fig. 1. sceleti ossa sic repraesentat, ut fracta rursus inter se iuncta appareant.

In rhachiticis aegris adesse videtur singularis dispositio substan- tiam osseam et terream inaequali atque abnormi modo deponendi. Exem- plum eiusmodi processus in praeclaro DAUBENTONII opere ¹¹⁾ offendi- mus; describit enim cl. vir sceleton puellae rhachiticae, tres pedes cum duobus pollicibus longum, quod, si ad statum ossificationis et singulorum ossium magnitudinem respicitur, pro sceleto virginis duodeviginti cir- citer annorum habendum esse ipsi videtur. Ossa cylindrica, in formam pla- nam redacta, pluribusque impressionibus insignita, cranii vero ossa qui- busdam in locis ad sex lineas crassa, in aliis e contrario tenuia et fere pel- lucida iavenit. Etiam STORCH et BONN ¹²⁾ tales observationes fecerunt, quae, hanc ossium degenerationem quandoque locum habere, testantur. Ceterum in sceleti, pag. 13. descripti, cranio plures protuberantiae abnormes reperiuntur.

Haec de vitiis ossium rhachiticis in universum dixisse sufficiat; pro- gredior nunc ad ea, quae in singulis systematis ossei partibus observantur. Ac primum quidem occurrit *caput prae grande* et magnitudinem, quae huic

10) ALB. AB HALLER disput. ad morbor. historiam et curation. facientes. Tom. VI. Lausann. 1758. p. 279.

11) D'AUBENTON hist. naturelle avec la description du cabinet du Roy. à Paris, Tom. III. p. 74.

12) ANDR. BONN descriptio thesauri ossium morbosorum Hoviani. Amstelod. 1785. p. 84. No. 278.

aetati convenit, valde superans, ex ossibus cranii modo crassioribus, (quod tamen raro observatur), modo attenuatis, membranaceis, hydrocephalicis constans. HERM. BOERHAAVE¹³⁾ morbosum hunc statum his describit verbis: „cognoscitur aegritudo haec incipiens — a tumore flaccido capitis et faciei; „adultior morbus exhibet magnum caput, suturis amplis interstinctum.“ In hunc locum commentatus VAN SWIETEN verba: „auctam capitis molem“ ita explicat: „si iam consideretur, copiam et impetum humorum versus „caput augeri ob magnitudinem arteriarum et venarum iniularium, patet evidenter, cur ob tres has causas concurrentes: ossium mollitiem, partem insignem calvariae adhuc membranaceam, (ideoque encephalo distendenti facilius cedentem), et copiosiore sanguinis appulsum capitis moles augeatur, „dum reliquae partes decrescere videantur potius. Sic et nascitur dispositio „ad hydrocephalum, quod malum aliquando comitatur Rhachitidem, quandoque sequitur.“ Ad priorem locum explicandum haec addit: „aliquoties „rhachiticos hydrocephalo laborare certum est, sed in pluribus caput proportionaliter maius est, licet nulla seri hydropici copia adsit.“ Atque in hoc plane consentit Clarissimus Vir cum GLISSONIO, qui asserit¹⁵⁾, in omnibus, hoc morbo extinctis, se vidisse auctam hanc capitis molem, et alio loco affirmat¹⁶⁾: „inter duram et piam matrem, atque in ipsis cerebri ventriculis „serosas aquas in nonnullis a nobis dissectis (rhachiticorum infantum capitibus) reperimus, in aliis cerebrum satis firmum et inculpabile, neque serosa illuvie inundatum deprehendimus.“ Caput rhachiticorum, illudque non hydropicum, iusto maius, interdum forte ossibus cranii crassioribus efficitur, quorum tamen integumenta flaccide tumida inter initia morbi itidem volumen eius aliquo modo augere possunt, praecipuam autem huius aug-

13) Aphorism. §. 1485 et 1487.

14) Aphorism. §. 1485. No. 4.

15) de Rhachitide. c. II. p. 10.

16) Ibidem c. II. p. 15.

menti causam in cerebro ipso maiori (quocum bene convenit maturum rhachiticorum ingenium) quaerendam, indeque etiam fonticulorum maius volumen, utut hydrops non adsit, repetendum esse crediderim. STORCH¹⁷⁾ fatetur: fonticulos in rhachiticis per longius tempus, quam in aliis subiectis, superfuisse. In iis infantibus, quorum sceleta supra pag. 7 et 10. descripsi, Hydrocephalus adfuit, qui variis signis se luculenter prodidit, ad quae inprimis calvariae volumen, ossium bregmatis aliorumque et valde tenuium et per fonticulos, praeter normam latos, nec non per multa ossicula a se invicem separatorum, ratio atque substantiae osseae porosae, cerebrique ipsius conditio pertinent. Ceterum, quod supra attuli, argumentum probat: hydrocephalum saepe cum Rhachitide coniunctum esse, simulque causam huius complicationis nobis facit cognitam.

Spinae vertebrarum curvaturae, ut Kyphosis, Lordosis et Scoliosis, quae alias haud raro in rhachiticis corporibus offenduntur, in iis infantibus, quorum sceleta descripsi, non aderant. Sed hoc mirandum non est, quippe hae deformitates a corporis erecti pondere et pressu in vertebrae minus firmas ortum habent. Musculorum autem actio efficere non potest, ut columna vertebralis e recto situ declinet, cum quivis eius musculus antagonistam habeat, cuius vis alterius vi par est, quod de extremitatum instrumentis motus non valere videtur. Hinc in foetibus et neonatis dorsi spinae curvaturae locum habere haud possunt.

Costae in rhachiticis ut plurimum plus minusve praeter normam flexae inveniuntur, ita, ut ad latera pressae et planae redditae sint, sternum vero instar spinae emineat. Jam BOERHAAVIUS¹⁸⁾ hanc fecit observationem, dicit enim: „adultior morbus exhibet thoracem ad latera impressum, ad „sternum in acutum assurgens,“ et STORCHIUS¹⁹⁾ contendit, costas, quae

17) *Von Kinderkrankh. B. III. p. 258.*

18) *l. c. §. 1487.*

19) *v. Kinderkrankh. B. III. p. 261.*

mediae sunt inter reliquas, plerumque impressionem palmae latitudinis habere, sive planas esse, infimas vero extus prominere; in aliis subiectis costas unius lateris gibbositatem sub scapula, eas alterius ad sternum formare. Costarum curvatio a spinae vertebralis anomaliis pendet et fortasse gestationis infantum in brachio nutricum effectus est, a musculis autem respirationis ea, quantum equidem iudico, repeti nequit, cum horum organorum officium in eo sit positum, ut costas tollant, easque adeo magis convexas reddant. Quod sceleta, a me descripta, his vitiis destituta erant, me haud offendit, cum nulla illarum causarum, quarum memini, in his recens natis infantibus vim exserere potuerit.

Costarum vero nodi in rhachiticis haud rari sunt, quorum plures scriptores fecerunt mentionem. BOERHAAVIUS loco modo citato commemorat thoracem — cum nodosis costarum extremis; GLISSONIUS²⁰⁾ statuit, costarum extrema, quae quidem sterno committuntur, nodosa esse, quemadmodum de articulis carpi et tali sit dictum, BOOTIUS²¹⁾ vero testatur, costas per omnem ipsorum decursum nodosas, indeque inaequales esse. STORCH in puero quadrienni costas utrinque profunde impressas, nodisque ac cartilaginibus ita distinctas vidit, ac si olim fractae fuissent. Eiusmodi costarum nodos etiam KLEIN²²⁾, MORELLI²³⁾ et RUOFF²⁴⁾ descripserunt. Operae sane fuisset pretium, costas infantis, de quo pag. 6 — 8. locutus sum, accuratius inspicere, sed hoc non licuit mihi, manus tamen, externo corpori admota, costarum nodos non detexit. In sceletis, Tab. II. depictis, protuberantiae tales facile in oculos cadunt

Ossa extremitatum in rhachiticis corporibus quod attinet, ea in iis

20) de Rhachitide cap. II. pag. 11.

21) ARNOLDUS DE BOOT observ. med. de affectibus omissis. Lond. 1649. 12. p. 50

22) Nova acta phys. med. Acad. Caes. Leopold. Carol. natur. curios. Tom. I, p. 146 et sequ.

23) VANDERMONDE Recueil periodique. T. VII. Juill. 1757. p. 434.

24) l. c. cap. 1. Art. 2. No. 15.

casibus, in quibus epiphyses praeter normam auctae sunt, nodos ad articulos solent habere, quos vulgo nostrates: *doppelte Glieder*, Angli: doubling of the joints, et malum ipsum, si eiusmodi excrescentiae simul adsunt, Tent vocant; Franco-Galli autem appellant tales rhachiticos, enfans noueux. Epiphysium tumiditas in hoc morbo frequenter occurrit, ita ut in communi vita haec nomina admodum usitata sint. GLISSONIUS²⁵⁾ ubi de hac abnormitate loquitur, asserit, nodos articulorum modo prius, modo serius prodire, modo citius, modo tardius crescere, morbo tamen diutius trahente semper apparere, et usquam si defuerint, id admodum rarum fuisse. BOOTTIUS²⁶⁾ autem illi opponit, eos ad finem fere morbi supervenire, multos etiam infantes supremum diem obire, antequam apparuerint nodi isti, e contrario multos morbum superare, quibus articuli eximie intumuerint et curatio diligens haud contigerit. BOERHAAVIUS²⁷⁾ protuberantias epiphysium ad ea symptomata refert, quae iam incipiente morbo observantur, et VAN SWIETEN²⁸⁾, in commentario ad hunc locum, epiphysium prominentiam ut effectum ponderis, quo corpus in cartilagineas hasce partes agit, considerat, attamen eae non tantum deprimi atque ita latiores reddi, sed etiam volumine vere augeri videntur; namque, teste STORCHIO, in neonatis epiphyses crassiores quandoque inveniuntur, cuius abnormitatis causa non in corporis pondere quaerenda, sed, ut quidem opinantur, inde repetenda est, quod nutritio non rite in corpore procedit. Idem²⁹⁾ dicit: manuum pedumque articuli, ubi extolluntur, certissimo signo sunt, infantem Rhachitide aut correptum esse, aut correptum iri. Sic in rhachitico infante, cuius pag. 6 — 8 feci mentionem, plures epiphyses figuram habebant abnormem et cum ossibus compa-

25) de Rhachitide. Cap. II. p. 10.

26) de affect. omissis p. 31.

27) Aphorism. §. 1485.

28) ad Aphor. §. 1485. No. 8.

29) cf. Storch von Kinderkrankh. B. III. p. 256 et 270.

ratae, nimis magnae erant, quam anomaliam mox animadvertes in brachio sinistro, si primam velis inspicere tabulam. Ceterum Fig. 2. Tab. II. similia exhibet.

Ossa extremitatum in omnibus fere rhachiticis aegrotis plus minusve incurvata sunt, in aliis ossa cylindrica maiora, in aliis claviculae et ossa carpi tarsique hoc vitio laborant. In quibusdam infantibus, auctore GLISSONIO³⁰⁾, ossa per omnem morbi decursum eiusmodi mutationem haud subeunt, in aliis plus minusve incurvantur, in quibusdam etiam ossa cum superiorum, tum inferiorum extremitatum curvata atque distorta, in aliis tantummodo pedum ossa curva atque retroflexa reperiuntur. Quidam, notante STORCHO³¹⁾, pedibus compernibus incedunt alii valgi varique sunt, alii tibias, in arcus formam modo extrorsum, modo antrorsum tortas, habent. Causam harum incurvationum GLISSONIUS in nutritione ossium inaequali ponit; si autem hac in re laudato auctori assentiamur, vix explicare poterimus, cur natura in nutriendis ac fingendis ossibus has sibi eligat formas, cum etiam in morbis regulas quasdam sequatur; hinc vero magis simile est, ossa, per morbum huncce mutata atque emollita, vi cuidam, quae in ea agit, cedere atque ita curvari. Et hanc quidem potentiam nocentem nonnulli, e. g. VAN SWIETEN et HAGEDORN³²⁾ se invenisse arbitrantur in pondere corporis et pressu, quem hae illaeve partes infantis sub vario gestationis modo pati solent. Alii clari viri musculorum vim, in ossa iusto molliora inaequaliter agentem, accusant; sic MORGAGNI³³⁾ vim musculorum satis efficacem esse putat ad ossa, quae firmitate, infantili aetati conveniente, gaudent, flectenda, contenditque adeo, ope musculorum quorundam, si eorum actio aucta sit, ossa huc

30) de Rhachitide. Cap. II. pag. 11.

31) v. *Kinderkrankheiten*. B. III. p. 272.

32) *Historiae medico-physicae*. Cent. III. histor. 51.

33) De sedibus et causis morborum per anatomen indagatis Venet. 1762. Epistol. 58. No. 4.

illucve torqueri. Et cum senum ossa, quorum durities permagna est, sola musculorum vi incurvari queant, concedere debemus, in infantibus ea facilius, quam in adultis abnormem figuram assumere posse. Observatio quoque docet, foetus et neonatos habere aliquando artus incurvatos, licet laxa sit in his musculorum textura, morbusque, de quo sermo est, eos magis debiles reddat. Quodcumque autem iudicium de huius abnormitatis causa feratur, id certum est, curvaturas adesse omnino non posse in casibus, qui similes sunt illi, de quo pag. 8. retuli, utpote in quo medium os diffissum est. Quaeri posset, an hoc quoque vitium musculorum actioni ortum debuerit, nec ne? sed hac de re paullo inferius agam.

Ossium deformitates, quas in rhachiticis aegrotis offendimus, quaeque maxime constantes sunt, omnem sane merentur attentionem. Negare quidem nolo, in partibus mollibus et visceribus eorum, qui hoc morbo laborant, plures itidem abnormitates adesse, sed haec constantes eae sunt, accidentalius magis, quam essentialium vitiorum nomine dignae, quae aliis etiam morbis, veluti atrophiae infantum et scrophulis communes sint. In lectorum memoriam revoco hepar mole auctum, (quod viscus neque male coloratum, neque valde induratum invenit GLISSONIUS³⁴), lienem item magnum, glandulas mesenterii obstructas et tumidas, intestina flatibus distenta, aut multo muco referta, musculos relaxatos, maciem totius corporis etc. Plures quidem artis nostrae magistri tales a natura aberrationes ad causas principes, quae rhachitico morbo producendo sufficiant, referendas esse censent, experientia autem hoc placitum non confirmat; etenim persaepe in rhachiticis infantibus cuncta haec organa, quorum memini, sanissima sunt inventa, et ipsum hepar, utut plerumque magnitudine plus minusve a norma recessisse notatur, nulla tamen alia labe fuit affectum. Sic HEISTER³⁵), qui

34) de Rhachitide. Cap. II. pag. 11.

35) *Lor. Heisters medic. chirurg. u. anatomische Wahrnehmungen. Rostock 1755. B. I. p. 25.*

sex infantum, rhachitide mortuorum, studiose perquisivit cadavera, omnesque abnormitates, quas in his observavit, sedulo descripsit, nihil plane dicit de vitiis in hepate detectis. Hinc nullum dubium est, causas, quae vim possident rhachitidem excitandi, saepe nullum effectum in hepar exserere, sed in ossa agere, quae ab iis ita afficiantur, ut in his inprimis malum sedem habere videatur atque mutatio, quam passa ea sunt, tanquam specifica nota rhachitidis considerari queat. Ceterum sufficientem me habuisse rationem opinor, quod malum, quo infantes laborarunt, de quibus pag. 7 — 10. egi, distinxerim ab iis, de quibus pag. 10 — 13. sermo est; nam in illis malum complicatum cum hydrocephalo fuit, in reliquis non nisi congenita rhachitis habuit locum.

Quod ad fracturas ipsas infantis, cuius sceleton pag. 6—9. descripsi, spectat, quaestio haec mihi videtur subiungenda: an ossa, in media parte a se plane separata, antea inter se coniuncta fuerint, nec ne? et quomodo, si illud locum habuerit, separatio evenerit, utrum musculorum vis, in ossa molliora agens, efficax fuerit, an substantia ossis per morbum sit consumpta? Cum fracturarum superficies inaequales atque asperae sint, periosteo, hic illic quasi lacero, vestitae, musculi item locis constitutis rite affligantur, cutis vere contigua sit, vasa nervique normali modo descendant, ossiumque plures fissurae minores ita comparatae sint, ut morbi praegressi vestigia conspicua essent, non possum, quin statuam, ossa prius fuisse unita. In hunc statum ea non inter parturiendum a vi aliqua externa, vel uteri efficaciter agentis, vel medici opitulantis, delata esse, cum supra satis probasse mihi videar, alii causae adscribendus hic effectus est. An potentia cuiusdam morbi veluti consumpta aliqua portio osseae substantiae sit? non crediderim, etenim quo minus eventus ille sic explicari queat, obstant variae rationes, ad quas refero periostei ad fractorum ossium superficies adhaesionem, partium mollium ipsis adiacentium integritatem, atque in media cuiusvis ossis parte, ubi maxima curvatura esse solet, fracturarum ipsarum praesentiam. Postquam

fracta erant ossa, vasorum sugentium actione in his locis aliquid resorberi facile potuit. Quae cum ita sint, alio modo ille eventus explicari debet. Videor autem mihi ad hunc finem optime me pervenire posse, si DAUBENTONII³⁶⁾, qui observationem illi, quam descripsi, similem fecit, sequar. In sceleto nimirum infantis paucorum mensium animadvertit inclytus hic naturae scrutator in media parte ossium humeri, radii, ulnae, femorum, tibiae, fibulaeque iuncturarum vestigia, quae in omni cuiusvis ossis circuli instar conspicua erant, quibusque nec costae caruerunt. Et cum tot ossa in hoc infanti corpore frangi atque denuo bene consolidari potuisse, ipsi haud verisimile videretur, opinatus est, Rhachitidem accusandam esse, morbumque hunc, quo valde turbari ossium incrementum constat, effecisse, ut osteogeniae processus inverteretur, sic ut ossificatio, ab utraque extremitate ossis incepta, versus eius partem mediam progrediretur, quae diutius, quam par erat, cartilaginea maneret; vestigia ergo iuncturarum ortum debuisse censet vir clarissimus materiae osseae ab altera extremitate ad alteram tendenti et in medio osse concurrenti. Iuvat hic quoque adiicere DAUBENTONII monitum: si mater talis infantis graviditatis tempore crurifragii supplicium vidisset, rhachiticus infans natus, ossibus in medio flexilibus, speciosum argumentum potuisset dare illis, qui vim imaginationis maternae in foetum, utero contentum, tueri conantur. Ingeniosa autem illa hypothesis, qua ortum iuncturarum, quae observatae sunt in ossibus rhachiticis non fractis, earumque formarum explicare studet laudatus auctor, etiam potest applicari ad casum, de quo pag. 10. retuli, et, si vere natura eo, quo dictum est, modo processit, evenire quandoque posse patet, ut ossa foetus in media parte flexa prius sint, quam ossificatio ad finem fuerit perducta. Jam vero si media cuiusdam ossis pars, quae in foetu rhachitico diu cartilaginea manet, curva fit, nonne etiam laesionem, aut continui solutionem poterit pati? atque hoc factum esse in eo casu iu-

36) l. c. Tom. III. pag. 76.

dico, de quo pag. 6 — 9. locutus sum. Fortasse ossificatio in longis quoque ossibus, uti in cranio, sic processit, ut multae particulae osseae seorsim deponerentur. Plura enim ossa extremitatum non fracta solum, sed etiam fissuris minoribus in partes divisa erant. Quod vero in media tantum longitudine ea plane fracta sunt, id musculorum in hunc locum maxime agenti vi modo tribuendum esse videtur. Attamen DAUBENTONII monitum commemoratum me adducit, ut haec subiiciam: quod enim ille nonnullos de tali infante (recens nato) iudicaturos esse suspicatus est, de casu hoc dici forte posset. Mater enim, quae huncce partum edidit, talis supplicii testis fuit, cum nondum conceperat, eaque est fassa, horrendum illud spectaculum imaginationi suae diu inhaesisse et per omne graviditatis tempus ei quasi ante oculos esse obversatum. Mirabuntur forte quidam, fuisse aliquem, qui de vi imaginationis gravidarum verba facere atque aut illustrandae, aut adeo probandae eius causa exemplo illo uti velit, sed cum imago spectaculi illius post conceptionem adhuc per longum tempus superfuerit, non potuit non effectum edere eo modo, quo vulgo accipitur imaginationis maternae vis, atque proinde is, qui illi de vi imaginationis matris in foetum sententiae addictus est, haud omni ratione destitutus esse videtur. Matris imaginationem, si qua ei in foetum vis est, eo tempore tantum, quo conceptio fit et ovulum, cum matre immediato nervorum vasorumque nexu iunctum, foecundatur, in foetum formandum aliquo modo agere posse crediderim. Infantum sane cum patre matreque similitudo, deformitates item quaedam, ut digitorum numerus non normalis, qualis in Bilfingerianorum gente locum habuit, aliaque vitia formae haereditaria ab hac imaginationis maternae vi derivanda esse videntur. At vitium formationis, quod profecto esset plane singulare et memorabile in eo casu, quem supra descripsi, assumere non possum, cum perfectae illae ossium fracturae non solae fuerint aberrationes a natura, quae aderant, sed simul plures aliae laesiones minoris momenti, eaeque cum morborum ossium status signis manifestis coniunctae, sint

repertae. An vero matris imaginatio per morbosam quandam affectionem effigiem imprimere potuerit foetui dubito.

Sed missa haec facio atque ad rem, quam tractandam mihi sumsi, regredior; quippe hoc mihi adhuc incumbit negotium, ut contra eos me defendam, qui Rhachitidem congenitam esse negant, ad quos praecipue celeberrimus quodam HERMANNUS BOERHAAVIUS referendus est. Variâ autem sunt argumenta, quibus sententiam, quam supra tuli, probare me posse censeo. Et primum quidem observatio persaepe repetita docuit, Rhachitidem tenerrimae aetati infestam et veluti propriam esse, eamque ut plurimum secundo vitae anno infantes aggredi, aliquando tamen etiam prius, nimirum mox post quintum aetatis mensem, se manifestare. Hoc vero tempore corpus infantile natura et constitutione non ita differt a foetu, ut, quaecunque sit mali nostri indoles, illud, infantibus adeo familiare, ab hoc plane alienum esse queat. VAN SWIETEN³⁷⁾ putat, tardum decursum morbi impedire, quo minus is statim post nativitatem ad quendam perfectionis gradum veniat, etiamsi foetus iam infectus fuisset. At profecto saepe occurrit, ut infantes cum prodromis morbi nascantur, qui mox in lucem prodit. STORCHIUS³⁸⁾ affirmat, in recens natis a medico accurate observante rhachitidis futurae signa et indicia non raro detegenda esse. Quod vero haec non saepius animadvertuntur, cum neglectae infantum explorationi, dum omissae foetuum abortivorum inspectioni tribuendum est. Neque tamen caremus observationibus, quae testantur, iam primis vitae mensibus infantes quandoque rhachitico morbo laborare. Existit ergo, nisi fallor, medius quasi status inter rhachitidem congenitam et eam, quae natos invadit pueros, ita ut ante absolutum vitae annum primum non minus, quam primis post conceptionem mensibus, foetus malo nostro afficiantur. Ceterum eo rarius hi casus oc-

37) l. c. ad §. 1487.

38) v. *Kinderkrankh. B. III. p. 255.*

currunt, quo iuniores sunt infantes, sicuti anno secundo aetatis praeterlapso quoque rariores observantur. Et ex causarum disponentium tribu, quae in foetu iam adsunt, huc spectat haereditas et parentum infirmior valetudo. Prostant quoque exempla Rhachitidis foetuum et recens natorum in quibusdam scriptis, quorum auctores maxima celebritate gaudent, ita ut nullum contra ea dubium moveri possit. Huc pertinent KLEINII, FRANKII et d'OUTREPONTII observationes, ex quibus casum, quem KLEINIUS nobis reliquit, eumque inprimis memorabilem, paucis hic transscribam³²⁾. Summa autem haec est „ann. 1754. m. Augusto rustica atrabilaria feliciter „peperit gemellos, quorum alter, isque bene quidem formatus, attamen „debilis, superstes mansit, alter, qui morbosam constitutionem habuit, decem modo inter vagitus vixit dies; huius infantis iudicavi corpusculum, „a violentiae et putredinis vitio liberum, tres ulnae Francofurt. quadrantes longitudine aequare, ceteroquin tenue, lanugine longa obsitum, maximeque in facie, et fere rhachiticum. Caput quippe iusto maius erat, in occipite tuberosum, facies ea, quae est decrepitis, pectus a lateribus compressum quasi, costae, in cartilaginum insertionem nodosae, ad collum emergebant prope obliquo itinere, ita ut dextrae sinistris essent altiores, sternum simul prominentiore. Abdomen apparebat insigniter tumefactum et cuncti corporis muscoli ematiati, laxaque cincti cute. Notabilis videbatur protuberantia epiphysium ad iuncturas radii, ulnae, genu, tibiae, fibulae cum „spinae dictorum ossium incurvatione et latitudinis intuitu augmento, os „ischium sinistrum dextro altius sedebat, pedemque idcirco dextrum laevo „longiorem metiebatur manus. Extremum pedem dextrum simul animadvertere contigit tribus modo instructum digitis, cum perone articulatam, „unciam a tibia media extrorsum vergentem, supra cuius extremitatem in-

32) Nova Acta phys. medica academ. Caesar. Leopold. Carol. natur. curios. Tom. I. p. 146. it. KLEINII dissert. sistens casum Rhachitidis congenitae. Argentor. 1763.

„inferiorem pollex pedis haerebat. Abdomine dissecto apparuit hepar grandissimum, illudque occupabat utrumque hypochondrium, et vesicula debitaе magnitudinis, felleque repleta diluto instructum erat. Ventriculus permagnus, cum intestinorum plurimo volumine flatibus turgens. Vasa sanguifera imi ventris collapsa, parum habentia purpurae. Abdomen praeterea binis locis perforatum, quorum superiori bilis ex ileo exibat, inferiori intestinum rectum finiebatur. Vesica urinaria nulla, ureter sinister intestino recto insertus. Penis hypospadiaci. Testiculi neque in scrotum demissi, neque in inguine latentes ulli aderant.“

GLISSONIUS⁴⁰⁾ narrat, medicum quendam Londinensem semel vidisse puerum recens natum, morbo rhachitico afflicto. Casus Rhachitidis congenitae, a MORELLIO⁴¹⁾ observatus, legitur in VANDERMONDEI collectione et FRANKIUS de simili observatione in libro infra adlato⁴²⁾ retulit. Sed haec exempla hic praetereo, ne nimis sim prolixus.

Observationum autem, a me supra recensitarum, uberiores explicationem relinquo Lectoris Benevoli arbitrio, quem iterum iterumque rogatum cupio, ut humaniter accipiat, quod artis medicae tiro iuris publici fecit opusculum.

40) de Rhachitide, Cap. XV. p. 172.

41) VANDERMONDE recueuil period. Tom. VII Juill. 1757. p. 434.

42) J. P. FRANKII Delect. opusc. medic. Tom. V. 1785.

TABVLARVM EXPLICATIO.

Tab. I.

Fig. I. Brachium sinistrum foetus maturi ad mensuras naturales depictum.

- a.) stricturae circulares cum plicis cutis in medio brachio atque antibrachio conspicuae.

Fig. II. A.) Humeri ejusdem brachii superficies anterior.

- a.) ruptura ossis, periosteo, hic illic lacerato, obducta.
- b.) fissurae et foraminula laminae ossis externae.
- c.) epiphysis humeri superior praegrandis.

B.) Os humeri longitudinaliter dissectum ostendit

sub a.) rupturam et utramque partem fragmentis spinosis terminatam.

sub b.) structuram ossis, siccati et cavo medullari carentis, porosiores cum pluribus foveis majoribus, quae, osse recens dissecto, liquore erant repletae.

C.) Fragmenti ejusdem ossis inferioris transversim dissecti facies.

Fig. III.) Calvariae siccatae pars sinistra, cum parte majori frontis et occipitis.

Tab. II.

Fig. I. Sceleton pueruli recens nati, XV pollicum longitudinem aequans.

- a.) juncturarum vestigia, elatis marginibus conspicua, in mediis extremitatum ossibus reperiunda.
- b.) eximia tibiae fibulaeque utriusque lateris curvamina.
- c.) costae nodis distinctae.
- d.) cranium majusculum, membranaceum, ossiculis minimis et numerosis, membranaeque interstinctum.

Fig. II. Sceleton puellae, XII pollices longum.

- a.) epiphyses omnes s. pars cartilaginea ossium iusto major.
- b.) pars ossea in tibia utraque prae reliquis exigua, praecipue superficie interiori.
- c.) corpora vertebrarum antrorsum insigniter elata atque instar globulorum eminentia.

Tab. III.

Fig. I. Sceleton recens nati XII pollices longum.

- a.) curvaturae radii ulnaeque.
- b.) curvaturae femoris utriusque insignes, in femoribus ad angulum rectum accedentes, ossibus tamen ubique laevibus.
- c.) tibia fibulaeque utriusque lateris planae potius, quam cylindricae, ex angulo recto curvatae, qui angulus in tibia pedis dextri, absque fracturae vestigiis, in spinam perlongam, cutim adeo perforantem, desinit.





Fig. 2.




Fig. 5.






Fig. 2.



Tab. II.

Fig. 1.



Tab. III.

